

NUNTIUS LEONINUS

**PERIODICUM LATINUM QUOD SEMEL IN MENSE EDITUR
A MINISTRATIONE INTERRETIALI //www.leolatinus.com**

PRIMUS

m.Nov./2004



EPISTULA SALUTATORIA

Dr.Nicolaus Gross moderator ministracionis interretialis, quae dicitur LEO LATINUS, lectores huius periodici Latini primo editi salutatur omni qua par est observantiâ.

Lectrices Lectoresque benevolentes,

„*Dimidium facti is qui coepit habet*“ – his verbis Horatianis admoniti tandem êdere ausi sumus primum „NUNTIUM LEONINUM“, quem iam ante duos fere menses in paginâ nostrâ domesticâ annuntiaveramus. Qui NUNTIUS est periodicum Latine scriptum, quod semel in mense gratis êditur in sede vel administratione interretiali, cui nomen est LEO LATINUS.

Hôc in periodico cum generaliter referamus de rebus in Orbe Latino factis faciendisve, tum praecipue de arte criticâ et de scientiis naturalibus et de lexicographiâ nomenclaturâque et de fabulis modernis Latine reddendis. Nam *artem criticam* reginam esse totius philologiae pro certo habemus; porro dubium non est, nostrâ aetate quantum valeant *scientiae naturales*; necnon persuasum nobis est Carolum illum Linnaeum haud insipienter dixisse *nomina* si deessent, perire notitiam rerum. Ceterum pace illorum qui de *fabulis modernis Latine reddendis* dissuadeant, sine morâ affirmabo talem versionem esse obrussam Latinitatis optimam et excellentissimam. Si quis scire vult, quatenus ipse calleat linguam aliquam peregrinam, is conetur oportet fabulam artificiosam e sermone patrio in illam linguam convertere. Sciat scientiam et peritiam suam hoc modo exigi ad obrussam quam subtilissimam. Optime haec explicat Plinius minor in epistulâ Fusco suo scriptâ (PLIN.ep.7,9, v. infra 4.1).

Equidem Germanus Saravianus per decem annos in Corea versatus duobus mensibus ante in patriam reversus nunc habito Venaxomoduro in amoeno oppidulo Bavariae Suebicae prope Ulmam sito, quod vulgo appellatur „*Weißenhorn*“. Solum autem Venaxomodurensis iam a Romanis intratum esse monetis antiquis inventis satis manifestum est. Ceterum haud procul ab hoc oppidulo perpulchro stetisse incunabula *Alberti Einstein* physici ingeniosi si consideraveris, facile mihi credes affirmanti LEONEM LATINUM natum esse loco vere digno.

Modesta esse initia huius NUNTII LEONINI non negamus; nisi ipsum leonem in iis inveneris, cara Lectrix, care Lector, velimus agnoscas EX UNGUE LEONEM. Tu autem vale pancratice et perge nobis favere.
Venaxomoduri, m. Nov. a. MMIV

Dr.Nicolaus Groß



ARGUMENTA NUNTII LEONINI PRIMI

1.ECCE DISCI COMPACTI RECENTISSIME EDITI !	4	
,Textor versutus' – E.A.Poe – ,Anecdota' - ,Memento mori' – ,De Crambambulo' – ,De dinosauris'.		
2.ARS CRITICA	8	
,Horret pagina obelis' - De Aetna carmine aenigmatico (I).		
3.SCIENTIAE NATURALES		
3.1 Nasus humanus quantum valeat.	11	
Ospheologos praemio nobeliano dotatos esse		
3.2 Num Latinitas est „vacca sacra“?		
Botanistae quatenus inter se dissentiant de Latinitate adhibendâ		14
3.3 Vae Americanis! Quibus imminet piscis Frankensteinianus	18	
<i>Channa</i> sive <i>Ophiocephalus</i> – genus piscium horribile infestat Americanorum lacûs fluviosque.		
3.4 Deverticulum technicum	21	
De tesseris taxillatis		
4.TRANSLATIONES	22	
4.1 Quantum iuuet verba e vernaculo in Latinum sermonem vertere		
4.2 Plinius minor quid sentiat de versionibus scribendis		
4.3 Somni soror, i.e. <i>Schlafes Bruder</i>.		
5.ECHUS VOCES EPISTULAE	25	



1. Ecce disci compacti recentissime editi !

E sede interretiali, cui nomen est LEO LATINUS, nuperrime edita sunt opuscula singularia et Latinissima:

1.1 FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA.

Fabella ex opere Pancakhyana excerpta a Nicolao Gross e sanscrito sermone in Latinum conversa et adnotatiunculis instructa.

Argumentum. In India antiqua textor quidam pauper in amorem incidit vehementissimum principissae pulcherrimae, quam videt tempore pompae sollemnis. Idem vir miserrimus de vita sua iam est desperaturus, cum pro certo habeat amorem suum numquam expletum iri, tum adiuvatur ab amico suo sagacissimo. Qui carpentarius construit simulacrum Garudi ligneum, avis illius divinae, qua Visnu solet universum pervolare. Porro carpentarius suadet, ut textor vestimentis ornamentisque dei Visnui instructus nocturno tempore simulacro Garudi vectus volet in cubiculum principissae eidemque puellae persuadeat necesse esse, ut eadem sibi, qui sit deus Visnuus et in illius amorem inciderit, sine mora se ipsam tradat omnibus ritibus nuptialibus omissis. Textor autem audet sequi consilium amici...

Ecce rem callide excogitatam, sed sane etiam periculosam.... Quid fiet de textore audacissimo? ...

Lector benevole, crede mihi, te maxime iuvabit et delectabit legere hanc fabellam Indicam, quae est summo lepore summamque habet expectationem....

Lector, intende: laetaberis!

Hic discus compactus imagunculâ bellissimâ dei Višnui Garudo per universum vehentis ornatus et adnotatiunculis philologicis linguisticis mythologicis instructus est. In appendice inest textus synusiologicus operis Indici famosissimi, c.t. „Kamasutra“ a Richardo Schmidt (1866-1939) indologo praeclaro e sanscrito in Latinum conversus.

7 paginae



datotheca pdf

numerus mandatelae: 00104

7,90 euronos




1.2 EDGARII ALLANI POE TRES FABULAE HORRIFICAE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS – PUTEUS ET PENDULUM

Argumentum. In fabula Catti nigri (*The black cat*) auctor narrando personam induit homicidae mente capti, qui moriturus in carcere referat, quomodo ipse natura mitis et clemens effectum ebriositatis paulatim delapsus sit in insaniam atque saevitiam morbosam. Cum scelus atrox commiserit, lento pectore et mira cum prudentia occultat vestigia eiusdem. Quod est tam perfecte absolutum, ut numquam emanaret, nisi maleficus furore gloriandi coactus ipse se proderet. Heu argumentum horribile. At quam apte, quam concinne auctor describit commotiones animae humanae.

Alterâ in fabulâ, quae inscribitur *Hop-Frog*, morio quidam mancus supernomine Ranunculi appellatus crudelissime ulciscitur tyrannum pro laesâ dignitate sui ipsius necnon amicae suae Trippetæ ballatricis. Auctor ipse, qui quamvis opera scriberet splendidissima, lucello inde accepto vix vitam sustentare potuerit, a philologis dicitur hac fabulâ per allegoriam ultus esse suorum operum vitiligatores.

Fabulâ Putei et penduli (*The pit and the pendulum*) agitur de quodam viro haeretico, qui ab Inquisitoribus Toletanis capitis damnatus tormentis afficitur horribilibus magis ad animam quam ad corpus spectantibus. Quomodo hic vir miserrimus ingentes terrores passus in fine servetur vi rationis propriae, tantâ arte narratur, ut, quicumque hanc fabulam legere coeperit, non possit quin perlegat horrore perfusus atque exspectatione suspensus. Fabula Putei et penduli habet maximam exspectationem omnium, quas umquam legi; neque animo fingere possum ullam fabulam exstare, qua lector maiore exspectatione suspendatur.

32 paginae



datoteca pdf

numerus matatelae: 00204 17,50 euronos

1.3 ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE


Henricus de Kleist (1777-1811), theodiscae litteraturae narrator omnium ingeniosissimus, in hac anecdota narrat de quodam husaro Borussico, qui hostibus Francogallis iam iam appropinquantibus stupenda cum tranquillitate animi a caupone postulat vini adusti unum hyalum post alterum necnon curat fumaculum suum tabaco conferendum. Denique idem husarus intrepidus in conspectu trium velitum Francogallorum equum conscendit, in illos sine mora impetum facit, unum post alterum de equo deicit, equos illorum secum abducit. Haec semper ipsis verbis



cauponis husarique invicem allatis tam rapide, tam vivide narrantur, ut tibi, cara lectrix, care lector, eadem non narrari sed ante ipsos oculos tuos re vera fieri sit persuasissimum. En artificem! Reapse Kleist est narrator theodiscus omnium optimus. Tolle et lege et iudica ipse, num mihi contigerit, ut Kleistii narratiunculam omnium excellentissimam satis fideliter satisque eleganter in sermonem Latinum converterem.

Versioni meae adieci conspectum vitae Henrici (cui inest etiam Henrici imaguncula) et analysin fontium huius anecdotae a Reinholdo Steig sagacissime scriptam et a me Latine redditam (textus originalis: *Reinhold Steig, Heinrich von Kleist's Berliner Kämpfe, Berlin, Stuttgart: Spemann 1901, p.356-360*).

6 paginae



datotheca pdf

numerus mandatelae: 00304 7,90 euronnes

1.4 MEMENTO MORI

Fabula criminalis vere horrida ab Alexandro Saxon scripta et a Nicolao Gross in Latinum conversa.

In huius disci compacti involucro vides calvariam discissam. Haud scio, an quaeras, quid hoc sibi velit. Revera haec calvaria est telum, quo homicida hominem occidat: hōc enim tēlo quidam secretarius caput praeceptoris sui, professoris archaeologi, diffringit. Ipsa quidem calvaria facinore violento diffringitur, sed fuit sat efficax.


At care lector – ne solliciteris – vir hōc tēlo occisus non est agnus innocens! Quomodo fieri potuit, ut secretarius nomine Duglasius Falconerus, homo infirmus et mollis, committeret facinus tam horribile?

Sex annis ante Falconerus Professorem Philippum Aserum, archaeologum cultuum funeralium Americae Centralis investigatorem in eius villâ invenerat una cum corporibus uxoris Miltradae eiusque adulteri mortuis. Aserus secretario explicat se ambos invenisse mortuos, propter calefactorii gasici defectum infortunium tragicum esse factum. Custodes publicos non esse certiores faciendos, ne curriculum suum honorum periclitetur. Una cum secretario tremente, qui credit mulierem virumque illum revera infortunio mortuos esse, cadavera sub lapidibus sepelit. Secretarius mente consternatus est, quod Miltrada uxor Aseri a se clam et abstinenter, sed ardentissime amata moechata est.



Astynomi omnino non intelligunt, quare Falconerus praeceptorem sex annis post mortem Miltradae occiderit idque telo homicidiali tam insolito.

Si tu scire vis, eme discum compactum, c.t. „Memento mori“!



7 paginae

datotheca pdf

numerus mandatelae: 00404 7,90 euronos

1.5 DE CRAMBAMBULO

Argumentum fabulae

In aliqua caupona Hoppius saltuarius incidit in quendam vagabundum supernomine „Flavi“ appellatum, qui canem secum attulit. Statim Hoppius agnoscit hunc canem quamvis ad maciem redactum esse indolis optimae. Itaque eundem cum „Flavo“ permutat duodecim lagoenis Gedanensis spiritus cerasini, cui nomen est Crambambuli; idem nomen Flavius dederat etiam cani. Qui primo vehementissime refragatur, non vult abire cum novo domino; post duos demum menses educationis severae Crambambulus factus est fidelis amicus atque custos Hoppii saltuarii. Hoppius eiusque canis amicitia artissima inter se coniuncti sunt. Aliquo die comitissa venit et exoptat, ut Hoppius Crambambulum sibi det marito suo donandum. Hoppius canem tradit, sed mox recipit, quia comiti non placet Crambambulus mordax pabulumque recusans.


Emanat Flavum illum esse ducem magnae catervae feripetarum. Grex quidam mulierum et puerorum a saltuario superiore, Hoppii praeposito, vehementissime mulcantur, cum furati sint ramos tiliarum florentium (fortasse voluerunt conficere theam florum tiliagineorum). At cum una ex mulierculis sit amasia Flavi, idem feripeta mortifere ulciscitur saltuarium superiorem pro illâ sugillatâ. Hoppius eundem invenit sclopeti glande plumbeâ transfossum.

Nonnullis diebus post homicidium forte fortunâ Hoppius una cum cane suo Crambambulo incidit in Flavum feripetam saltuariique superioris interfectorem. Uterque vir est sclopeto armatus; Hoppius Crambambulo imperat, ut Flavum corripiat. At canis miserimus aliquamdiu desperans huc illuc trahitur et nescit, utri dominorum fides sibi praestanda sit....

Denique canis miserimus quid faciat indeque quae effecta sint, lege, cara lectrix, care lector, in disco compacto Leonis Latini, c.t. „DE CRAMBAMBULO“!



Fabulae Latine redditae addita est appendix uberrimus: legas ibi multa de auctricis vita operibusque et de iis, quae hac fabula doceantur. Tolle lege!



14 paginae

datotheca pdf


numerus mandatelae: 00504 9,50 euronos

1.6 DE DINOSAURIS. RELATIO A NICOLAO GROSS LATINE SCRIPTA.

Haec relatio palaeontologica nonnullis tabellis et lineamentis et versicoloribus imaginibus photographis instructa est. Insunt imagines dinosaurorum magnificae, inest magnum colloquium interrogatorium cum Americano Professore Sereno factum, qui multas expeditiones periculosas iam fecit ad sceleta saurorum effodienda: in multas terras Africanas, ubi investigatoribus imminent pericula innumera...

Dînosaurîs nostrâ aetate animos hominum et iuniorum et seniorum mirum in modum alluci inter omnes constat. Nonne etiam placebit ingentes has bestias praehistoricas vel praediluviales aspectare classicâ veste indutas?

Lectrix Lectorve maxime honorabilis, optime oblectêris *Tyrannosauro* et *Brontosauro* et *Tricerátore* et *Velociraptôre* ceterisque ad formam Latinam redactis. Necnon perge nobis favere!



16 paginae

datotheca pdf

numerus mandatelae: 00604 9,00 euronos

LECTRIX LECTORVE, CAPE OCCASIONEM !



2.ARS CRITICA

‘Horret pagina obelis’ - De Aetnâ carmine aenigmatico (I)

Carmen de Aetnâ Siciliae monte ignivomo scriptum philologis semper videbatur esse omnium operum antiquitatis Romanae pessimê traditum et longê obscurissimum. Hoc scriptum Appendicis Vergilianae scatet locis, de quibus vindicandis aut emendandis multi iam coryphaei philologiae classicae planê desperaverunt. Scilicet quaestiones auctoris et structurae et elocutionis et aetiologiae latebrosissimas, quae spectent ad hoc carmen, rite solvi non posse nisi textu sat bene restituto. Nec dubium est, quin operae pretium sit Aetnam arte criticâ illustrare. Nam idem carmen aenigmaticum est testimonium singulare antiquae vulcanologiae.

Housman pugnax ille philologus Britannus olim admonuit Appendicis Vergilianae editores, ut cunctanter emendarent, uindicarent cunctanter, paginam autem obelis horrentem praeberent. Saeculo fere transacto pace Housmannii eiusdemque discipulorum admiratorumque liceat quaerere, num fieri possit, ut textus Aetnae ab obelis quam plurimis liberetur. Nam in textu silvam obelorum crucumve in perpetuum relinquere nonne est hęc arma philologiae sine ullâ conditione deponere, nonne hęc modô indicatur philologiae clades finalis et definitiva?

Persuasum mihi est me in Vocis Latinae fasciculis 137-142 (partes I-VII) iam demonstravisse multa problemata Aetnae critica esse solubilia neque textum originalem scriptum esse sermone depravato, qui a classico esset alienissimus. Necnon mihi verisimile videtur sat subtili analysi criticâ finitâ nos etiam multo melius iudicaturos esse, quibus doctrinis physicis hoc in carmine causae montis ignivomi explicentur, quonam tempore hoc opusculum scriptum sit; haud scio an deinde de ipso auctore quoque multo certiora dicturi simus an priores Aetnae commentatores.

Hac in serie symbolarum velim breviter tractare quaedam problemata textûs Aetnae reliqua. Lector autem rogatur, ut sibi comparet Goodyearii editionem Aetnae criticam maiorem (i.e. Cantabrigiensem anni 1965) aut minorem (quae inest editioni Appendicis Vergilianae a.1966 Oxonii factae), ut sciat contextum locorum, quos tractabo.

pars I: Quomodo spiritus in Aetna compressus e monte eiciatur (v.282-328)

Incipiamus illa parte carminis, ubi poeta tractat varias causas naturales, quibus aer (spiritus) intra montem comprimatur (v.282 *concrescant animi penitus*) summaque vi e monte eiciatur (v.282-328).

Poeta Aetneus studet demonstrare ingentem vim strepitumque montis ignivomi erupti effici causa naturali (non supernaturali, i.e. divina). Poetae persuasum est causam esse aerem medio in monte compressum (v.282 *concrescant animi penitus...*). Nunc perguit quaerere: Unde et quo modo aer venit medium in montem? Qua re aer comprimitur? Auctor more Epicureorum non contendit unam solam causam aeris compressi esse certam, sed praefert pluralismum causarum (cfr v.282: seu...283...seu...289 siue...290+seu...) Causa ultimo loco allata in versibus sequentibus (v.293: *nam, ueluti...v.299 haud aliter...*) a poeta Aetneo explanatur exemplis technicis (v.293 *+ora duc Tritone canoro...*295 *bucina*; 296 *cortina...quae*



...animam subremigat unda; prior res technica crucibus obscuratur, v.infra, posterior est organum hydraulicum). Deinde (v.301,303-305) poeta confirmat credendum esse aliquam causam existere, qua aer sub terra (in monte ignivomo) comprimatur. Iterum apparet ratio Epicuri aetiologica (qualem apud Lucretium saepe invenimus): Res gravissima non est una sola certa aetiologia, sed possibilitas aetiologiae naturalis. Epicureo non necessarium est invenire certam causam phaenomeni, sed sufficit demonstrare rem explicari posse ratione naturali; quo plures causae possibiles inveniuntur, eo certior est haec possibilitas. Itaque poeta Aetneus v.306sq. concedit lectori, qui addubitet causas antea allatas, alias quoque causas (principia) compressionis posse existere: *quod si forte mihi quaedam discordia tecum est,/ principiis aliis credas consurgere ventos*). Sequuntur duae causae aliae (quinta et sexta causa possibilis), quibus fieri potest, ut aer sub terra comprimatur: quinta causa: sub terra ingentes rupes posse prouere casuque earum rupium animas (i.e. aerem) posse impelli; hinc crescere ventos. – sexta causa (v.311-317): Ex „umore largo“, i.e. ex aquis subterraneis, se effundunt nebulae, quae adspirant et uerberant spiritum.

In fine huius incisi sequitur conclusio (v.318-330): „*His igitur causis extra penitusque coactus/ exagitant ventos;...*“

Nunc veniamus ad obelos, quos huic textui imposuit Goodyearius desperatus:

GOODYEAR

290 +seu forte flexere caput tergoque feruntur

LEO LATINUS

290 seu fontes flexere caput tergoque feruntur

„fontes“ hoc loco sunt aquae marinae in montem invadentes et spiritum verberantes (cfr LUCR., VERG., SEN., v.OLD s.v. fons 1 e!). cfr coniectura Richmondii alio loco recte posita: v.315 eminus adspirant fontes et verberat umor, v.infra.

GOODYEAR:

293 nam, ueluti sonat +ora duc+ Tritone canoro

LEO LATINUS:

293 nam, ueluti sonat <h>ôra diê Trîtône canôrô

Tribus versibus 293-295 agi de horologio hydraulico, in quo figura quaedam Tritonis bucina indicet horam diei, peritissime demonstratur ab Alzinger (Wasseruhr und Wasserorgel in der Aetna, in: Blätter für das bayerische Gymnasialwesen, 1900, p.649-656, praesertim p.654-656). Qui philologus artis technicae antiquae optime peritus recte conicit formam <h>ora pro forma tradita quae est „ora“. „hora“ per metonymiam h.l. significat horologium. Sed minus bene quadrat coniectura Alzingeri sequens (loc.cit., p.654): pro aenigmatica forma +duc+ tradita ponit „deis“. Sed horae non solum deis, sed etiam hominibus indicabantur. Res acu tacta est a Mauricio Haupt (v. ap. Alzinger, ibid.). „diê“ hoc loco est forma genitivi singularis archaici (diê = diei), quae apud Plautum et alios vetustiores auctores, sed etiam bis apud Vergilium (VERG.georg.1,208, Aen.1,636) invenitur!



GOODYEAR:

314 flumina parua ferunt auras, uis proxima uento est,
eminus adspirat +fortis et+ uerberat umor.

LEO LATINUS:

**314 flamina parua ferunt aerae, uix proxima uento,
eminus adspira<n>t fontes et uerberat umor.**

GOODYEAR

323 haud secus +adstrictus certamine tangitur ictu

LEO LATINUS:

323 haud secus adstrictus certa<nti> angitur ictu

Haec hactenus. Persuasum nobis est nos in hoc inciso, ubi agitur de causis spiritus compressi et eiecti possibilibus (v.282-328) omnes obelos a Goodyeario positos recte sustulisse! Reuera huic textui nullus iam locus inest desperatus!

Proxima in parte agemus de illis versibus, quibus poeta Aetneus studet demonstrare aerem uel spiritum in Aetnam ingeri uel immoveri posse nequaquam per cratera. Etiam his versibus Goodyearius (haud aliter ac praecessores eius) multos posuit obelos et lacunas. Videamus, quid LEO LATINUS iisdem faciat.

(ALTERA PARS SEQUETUR)



3.SCIENTIAE NATURALES

3.1 Nasus humanus quantum valeat.

Osphreologos praemio nobeliano physiologiae vel medicinae dotatos esse

Die 4.m.Oct. congregatione Nobelianâ *Instituti Karolinskiani* Holmiae in Suetiâ siti annuntiatum est **praemium Nobelianum physiologiae aut medicinae anni 2004** donatum esse investigatoribus, quibus nomina sunt **Richardus Axel** (a.1946 Novi Eboraci natus) et **Linda Buck** (a.1947 in urbe Seattle nata); quorum prior particeps est *Collegii Medicorum Universitatis Columbianae*, posterior *Centri Cancris Investigandi Hutchinsoniani*. Qui scientistae hâc honore eximio ornati sunt, quia iisdem contigerat, ut explicarent, quibus modis operetur **systema olfactorium**.

A.1991 Richardus Axel et Linda Buck invenerunt magnum gregem (,familiam') genorum (*genum,-i n., Angl. gene, Theod. Gen) **ad olfactum spectantium**, qui complectitur aliquot milia gena varia. Haec sunt ternae partes centesimae (3%) totius genomatis! Omni geno olfactorio efficitur, ut oriatur quidam *receptor olfactorius*. Receptores autem siti sunt ad *cellulas receptionis olfactoriae*, quibus in *epithelio nasali* sitis deteguntur moleculae odoramentorum respiratione receptae.

Epithelium nasi humani *olfactorium* continet circiter 5 miliones *neurones olfactorios*, quibus directe mittuntur nuntii ad *neurones bulbi olfactorii*. Si quo odore neuron excitatur, hic stimulus secundum *axonem cellulae nervalis* transmittitur ad *neurones in bulbo olfactorio* sitos. Qui bulbus ipsa in regione cerebri frontali situs est locus, ubi stimuli odorum computantur et determinantur.

E bulbo olfactorio signa olfactoria emittuntur ad *corticem cerebri altiore*, in quo processûs tractantur cogitationis consciae, sed etiam ad *systema limbicum*, quo efficiuntur commotiones animi. Revera odores non solum valent ad hominis cogitationes, sed etiam ad commotiones animi: in ‚Fragrantia’ *Patricii Sûskind* optime describitur, quomodo alii odores fragrantiarum nomine appellati interdum ingenti pretio emantur, quia amorem aut excitent aut saltem exaugeant, aliis odoribus, qui foetores vocari solent, perceptis homines afficiantur summa aversione.

Unum ex aenigmatis osphreologiae intricatissimis fuit hoc: Quomodi fieri potest, ut naso humano, qui instructus sit receptoribus olfactoriis relative paucis (347), discernantur circiter decem milia odorum?

A *Linda Buck* hoc aenigma solutum est invento phaenomeno mirabili: „alphabeto“ - ut ipsa dicit sensu translato – „olfactorio“. D.5. m.Mart., a.1999, una cum nonnullis collegis in periodico scientifico, c.t. „*Cell*“, *Linda* rettulit multipliciter olfactûs mammalium non positum esse in singulis receptoribus ad singulos odores specificè adaptatis (quorum genera activa in homine essent 347 tantum), sed in iisdem receptoribus inter se combinatis. Pro eo, ut odor aliqui recipiatur receptore speciali, qui ad eundem solum odorem est idoneum, systema olfactorium utitur „alphabeto“ receptorum, quo aliqui odor receptus esse nuntietur cerebri neuronibus. Receptor aliqui aliis cum receptoribus iterum iterumque adhibetur ad varios odores definiendos, tamquam aliquae littera una cum aliis litteris ad varia verba fingenda. Itaque ipsa investigatrix osphreologa receptionem odorum comparat cum confictione verborum.



Interim quidam oosphreologus Germanus Bochumensis nomine *Hans Hatt*, Professor et triplex Doctor (DrDrDr), qui tenet cathedram physiologiae cellularis *Universitatis Rurinnae*, cognitionibus *Lindae Richardique* receptis oosphreologiam eo mirum in modum exauxit, quod invenit complures receptores, id est proteina specifica ad cellulas olfactorias adsita, quae efficiuntur genis a *Linda* et *Richardo* inventis. Omnis receptor respondet moleculis odoris specifici. *Hattius* autem a.1999 primo genum olfactorium a *Linda* atque *Richardo* anno 1991 inventum transplantavit in cellulas renales idque assecutus est, ut secundum programma eiusdem geni ad effectum adductum fieret receptor quidam olfactorius.

Professor *Hatt* nobis pandit non solum in naso humano esse cellulas olfactorias, sed etiam in cute, in prostata glandula virili, in pulmonibus et in aliis regionibus corporalibus. Necnon fieri posse, ut fabricentur *substantiae disodoratrices* perfectae; tales substantias constare ex moleculis, quae ad eos tantum receptores olfactorios adhaereant eosdemque inefficaces reddant, qui idonei sint ad foetorem quendam; quo fieri, ut homo hunc foetorem absolute non iam sentiat.

Vis receptorum olfactoriorum exclusiva et valde specifica mirum in modum demonstrata est casu cuiusdam investigatoris tristi. Idem enim morbo virali affectus fere toto olfactu orbatus erat. Si idem vir miserrimus, qui propter defectum sensus olfactorii nullo potu, nullo cibo vere perfrui poterat (nam gustus magna ex parte fit olfactu, multo minus linguâ et palato), bene mâne nidorem cafeae suae fervidae naribus hauriebat, pro fragrantia cafearia nihil percipiebat nisi foetorem *benzini*. Quod phaenomenon ab oosphreologis eo explicatur, quod idem vir olfactu debilis eos tantum receptores olfactorios habuerit sibi relictos, qui spectent ad odorem benzini. Fragrantiam autem cafeae constare ex variis odoribus inter se commixtis, quibus varii receptores stimulentur, inter quos sit etiam receptor foetoris benzinariii. Infelix ille investigator foetore benzini cruciatus tandem medicos rogavit, ut sibi destruerent etiam olfactores benzinarios.

Ut inventorum Hattianorum exemplum afferamus gravissimum: *Hattius* triplex Doctor Bochumensis invenit quendam receptorem, qui specialiter adhaeret ad moleculas odoramenti *bourgeonal*, quo efficitur odor flosculi bene noti, cui nomen est *Convallaria maialis*. Porro hic oosphreologus Bochumensis ingeniosus invenit idem odoramentum *bourgeonali* ipsum secerni ab oocyto humano, id est ab ovulo feminae; quo effici, ut spermium sive spermatocytus virilis alliciat et ita dirigatur, ut viam inveniat ad ovulum fecundandum (ceterum murium spermia alliciuntur *lilialio*, id est fragrantia liliorum). *Hattius* enim affirmat spermium humanum esse quadamtenus cellulam olfactoriam, quae dirigatur substantiis chemicis, quas recipiat receptoribus olfactoriis. Inde consequitur viros, qui non valeant olfacere fragrantiam *Convallariae maialis*, laborare impotentia generandi, id est non posse liberos gignere, quia eorum spermia non possint invenire viam ad ovulum femininum (si medici tali ratione simplicissima uterentur ad potentiam virorum generandi experiendam, parcerent pecuniae et tempori!). At exstat quaedam substantia *bourgenalio*, id est fragrantiae *Convallariarum maialium*, adversa sive opposita, cui nomen est *undecanali*. Eadem enim *substantia disodoratrice* receptores fragrantiae *bourgeonali* occupantur; tali substantia sumpta vir ad tempus fit sterilis. Ergo novum *atocium* a viro *adhibendum* est inventum, id est nova methodus olfactoria, qua vir cum aliqua feminâ concubiturus possit conceptum inhibere.



Studiis *Lindae Buck* atque *Richardi Axel* ingeniosissimis (quibus interim etiam ingeniose nixus est *Hans Hatt*) tandem apparet, quantum valeat nasus et quanta subtilitatis sit olfactus, quem esse sensum maxime primitivum omniumque infimum homines per longum tempus stupide crediderant. Oportet faustis votis prosequamur *Lindam Buck* et *Richardum Axel*, quod optime meriti acceperunt praemium scientistarum omnium praestantissimum. ***Felix qui potuit rerum cognoscere causas...***



3.2 Num Latinitas est „vacca sacra“?

Botanistae quatenus inter se dissentiant de Latinitate adhibendâ.

*Constat plantarum investigatores esse omnium scientiarum naturalium Latinissimos: iisdem enim Internationali Codice Nomenclationis Botanicae adhuc praescribitur, ut omnem speciem plantarum novam describant linguâ Latinâ. Talis descriptio dicitur „diagnosis“. Publicatio autem novae speciei non probatur rite facta esse nisi scripta est Latine. In tali diagnosi enumerantur partes plantae novae principales earumque qualitates specificae, velut numeri, magnitudines, formae, colores, eqs, quae solent afferi multis ablativis qualitatis uno alteri additis et commate inter se disiunctis. Syntaxis talis diagnoseos est simplicissima. At qui botanista hodiernus scit linguam Latinam tam bene, ut sciat recte componere sententiolam vel minimam? Eo tempore, ubi ipsi palaeophilologi (exceptis perpauca) iam pridem desierunt scribere hac linguâ, quam tractant doctis suis commentationibus? Accedit quod pleraeque species novae inveniuntur in Africa, Asia, America meridionali, in terris, ubi vix ulla umquam fuit aut restat traditio Latina (missionarii quoque iam pridem destiterunt a Latinitate adhibendâ). Facile fingitur non paucos botanistas systematicos, quorum sit plantas novas describere, morose obmurmurare iugo Latinitatis molestissimo. At non omnes herbarum perscrutatores sic opinantur. Alii aliter sentiunt...**Marcus (Mark) Garland**, Americanus botanista, verbis sequentibus, quae in interreti inventa Latine reddidi, scite refert de hac dissensione botanistarum. Ecce verba Marci nomenclationis botanicae peritissimi e sermone Anglo-Americano in Latinum conversa:*

Botanicae Translationes Latinae

Quare in novis plantis describendis adhuc requiritur lingua Latina?

Omnibus codicibus nomenclaturae biologicis studetur continuo nomina associare rebus obiectis, praesertim praecipitur, ut auctor novi nominis designet obiectum reale, quod aliquo loco diligenter servetur – *specimen typi* – quod in sempiternum appelletur hoc nomine. Altera ut ansa, qua nomen adhibendum definiatur, codicibus requiritur obiecti denominandi *descriptio*.

Sermo scientiarum internationalis nunc est Anglicus; ea autem, quae non scripta sunt Anglice, scripta sunt aliis linguis modernis. Itaque codicibus biologicis generaliter praecipitur, ut novus organismus describatur sermone moderno, qui longe lateque frequentetur. At nullo codice nisi *Internationali Codice Botanicae Nomenclaturae* praecipitur, ut descriptio fiat Latina. Quid est causae, cur ipsi botanistae sint inter illos ultimos omnium hominum, qui adhuc in mundo moderno utantur linguâ Latinâ, una cum incolis quarundam insularum resistantiae, qui spectant ad Romanam Ecclesiam Catholicam et Finlandiam? (*adn. interpretis: lector interretalis hoc loco a Marco Garland electronice monetur cuiusdam Finni cantoris musicae Rockianae, qui cantet Latine*). (In multis provinciis scientiarum verba Latina et Graeca adhibentur ad obiecta studiorum *denominanda*, a „Vallibus Marineris“ in marte planeta sitis usque ad peculiaria nomina solorum – „haplaquod“, „psamment“, „udult“ – quae insunt classificationi *Departimenti Agriculturae Civitatum Unitarum*. (*adn. interpretis: Haec exempla non apta sunt: „Marineris“ est genitivus ex forma Anglica „mariner“ (i.e. marinus, nauta) pessime derivatus, nomina solorum a Garland memorata nequaquam sunt originis Latinae!*). At nemo nisi botanistae praecipit, ut aliquod obiectum studiorum Latine *describatur*.)



Traditio forsan sit quaedam causa. Defensores Latinitatis (e.g. Stearn 1992) saepe verbis efferunt usum Latinitatis in descriptionibus botanicis servatum esse heredio illorum dierum relictum, quibus sermo Latinus fuerit doctrinae occidentalis sermo internationalis. Scilicet viros eruditos velut Rayum, Linnaeum, Friesium (ne dicamus de Galileo vel Newtono) sermone Latino imbutos scripsisse libros suos Latine, ut aliarum terrarum viri docti eosdem intellexerent – et botanistae hunc usum servaverunt. Haec sermonis Latini adhibendi continuitas generaliter licet sit vera, tamen, accuratius si rem consideraveris, invenies quasdam lacunas (vide, e.g., Core 1955, pp.146-150; McNeill et al.1986). Linnaeus et alii firme commendaverunt, ut botanistae uterentur linguâ Latinâ, sed non erat praeceptum, ut hoc facerent, neque ipsis in primis legibus nomenclaturae formaliter conscriptis, in „Legibus“ Candollianis a.1867 publicatis. Cum Codice Viennensi anni 1906 praeciperetur, ut ex 1.d. m.lan. a.1908 novae species aut genera describenda essent Latine, defectores Americani promulgaverunt codicem proprium et perrexerunt publicare novas species et genera linguâ Anglicâ (Arthur et al. 1907, p.168: „Haec res praecepta est arbitrio, non necessitate...Cum videamus usum sermonis Latini magis magisque deminui, eundemque tolli e curriculis scholarum scientificarum, generaliter doceri duas aut plures linguas modernas, hanc actionem opinamur neque necessariam esse neque sapientem.“) Pax mundi (botanici) denique restituta est legibus Cantabrigiensibus a.1935 divulgatis, quibus praeceptum est, ut novae species Latine describerentur ex 1.d. m.lan. a.1935; quo implicite concessum est ante hunc diem omnem linguam comprobari. Ergo taxonomi plantarum traditionem Latinam numquam interruptam esse opinati oportet ut accipiant species longe antea descriptas esse linguis modernis!

Defensores Latinitatis hoc argumento „traditionis non interruptae“ usi saepe argumentantur necessarium esse botanistas callere sermonem Latinum, ut sciant legere litteras botanices vetustiores. E.g. Stearn (1992,p.9) etiam dicit: „etsi botanistae inter se consentirent, ut uterentur <moderno aliquo sermone ad plantas describendas>, tamen investigatores botanices systematicae non possent quin discerent Latinitatem botanicam, ut directe cognoscerent opera priora.“ Aut, cum aliquis proposuerit, ut Internationali Codice Botanicae Nomenclaturae mutato permetterentur non solum Latinae descriptiones, sed etiam Anglicae, Stearn respondet haec: „Praestantissimum <argumentum contra hoc propositum afferendum> verisimile in eo est, quod scientiâ Latinitatis paulatim evadente magis magisque removeamur ab heredio nostro scientifico.“ (Greuter & McNeill 1993, p.238). Tamen aliud est legere litteras vetustiores, aliud est componere Latinas descriptiones. Quantum equidem expertus sum, facilius discitur linguam legere quam eandem scribere aut eâdem proflenter loqui. Ergo, si aboleverimus Latinas descriptiones, relinquemus aliud munus generaliter facilius iis, qui velint legere Latinas litteras scientificas.

Alteram causam saepe afferunt (defensores descriptionum Latinarum) in eo esse, quod botanistae egeant sermone unico, ut descriptiones intelligantur ab omnibus nationibus. Ad hoc propositum exsequendum sermonem Latinum esse maxime idoneum, quia sit neutralis omnique homini aequaliter alienus, „nullius nationis aut gregis linguistici proprietatis“ (Stearn 1992, p.9). Quibus verbis subest idea, quâ Latinitas, infirma echo imperialismi Romani, non excitet animorum commotiones politicas, quales lingua Anglica excitaret, quae sit lingua hodierni imperialismi anglicophoni. Verisimile est futurum fuisse, ut etiam usu aliarum linguarum



modernarum, velut Francogallicae, Hispanicae, Russicae aut Sinicae, communitas botanistarum divideretur. Tamen zoologis contingit, ut describant variis linguis modernis; quidam entomologus nuper quaesivit, „potestne revera fieri, ut dictum illud, quo diagnoses botanicae scribendae sint Latine, laedat communitatem, in qua nonnulli putent sibi licere publicare linguâ locali (i.e. usûs restrictioris), quia novae species Latine sint descriptae, omnisque sciat legere easdem descriptiones? In zoologiâ si tu vis relationem tuam longe lateque legi, oportet eandem publice linguâ, quae longe lateque frequentetur.“ (Michael Ivie, TAXACOM grex disputatorius, m.Oct.1995).

Tertiam causam descriptionis Latinae defensores eam afferunt, qua descriptiones meliores fiant adhibita linguâ Latinâ. „Latina descriptio eo praestat, quod Latine scribens subiciatur cuidam disciplinae grammaticam et syntaxin respiciendi, qua OMNIS sermo melius adhibeatur. Eo, quod Latinus sermo est emortuus, hic effectus aliquatenus augetur.“ (Henry Gee, TAXACOM grex disputatorius, m.Oct.1995). Aut, ut Stearn (1992, p.12) dicit: „diligentia quae est necessaria in descriptione Latina componenda saepe ipsa est ansa, qua usus botanista plantam accuratius describat proprio sermone patrio...actu translationis revelantur ambiguitates et interpretis cogitur, ut quam clarissime cognoscat, quid sentiat auctor.“ Tamen hoc translationis emolumentum non est ad Latinitatem restrictum; nescio an descriptio in quamvis aliam linguam conversa ad interpretem effectum habeat eundem.

Alia quoque pro Latinitate afferuntur argumenta (vide McNeill et al. 1986 et Benson 1962, p.353, de nonnullis), sed puto me enumerasse causas principales, quibus botanistae servaverunt praeceptum novas plantas Latine describendi (aut quibus dicunt se servavisse). Alia quaestio est: Estne botanistis servandum praeceptum, quo nullae descriptiones permittantur nisi Latinae? Egomet ipse, qui aliquatenus tractem res taxonomicas, qui diligam sermonem Latinum eodemque acceperim aliquantum pecuniae, dico meâ quidem sententiâ (quae est omnino nullius momenti) illud praeceptum novas species Latine describendi non esse servandum. Argumenta enim Arthuri et aliorum a.1907 allata adhuc valent; ea quibus in hac relatione usum Latinitatis recusavi, valent; sed Kostermans (1990) et Chaudhri (1991, 1992) fortasse optimam causam attulerunt, qua permittendum sit, ut plantae describantur linguâ modernâ – id est illorum sententiâ – Anglice. Kostermans enim dicit: „Cum plantae Europae Civitatumque Unitarum sint fere omnes in ordinem taxonomicum redactae, condicio florum tropicorum ab illarum funditus differt. In tropicarum enim plantarum taxonomia ne prima quidem rudimenta posuimus: facimus inventarium, quod est, ipso hoc tempore, urgentissimum.“ Ut rem aliis verbis exprimamus: quid tempus teramus descriptionibus Latinis conficiendis? Chaudhri (1992) autem dicit: „Asiani et Africani, praesertim non-Christiani, nequaquam hoc sermone (sc. Latino) imbuuntur. Quaecumque nobis praeparanda est diagnosis Latina ad novum taxon describendum, quaerendum nobis est auxilium alicuius clerici aut amici taxonomi occidentalis, quod non est facile inventu. Ut exprimam aliis verbis: botanistae Asiae atque Africae inhihentur, ne in ipsis suis terris propriis exaugeant gravem disciplinam taxonomiae.“

Haec hactenus *Mark Gardner* botanista Americanus. Liceat his verbis quam brevissime subiungere ea, quae nobis videantur de plantis Latine describendis:

Latinitas botanica, qua botanistae utuntur in scribendis diagnosis (quales appellant descriptiones novarum specierum), est simplicissima: plerumque experts



est omnis hypotaxeos, magnâ ex parte constat ex substantivis, quae formis ablativi qualitatis enumerantur. Tamen etiam hic sermo a Carolo Linnaeo ad maximam brevitatem et simplicitatem redactus recte adhiberi non potest nisi respiciuntur quaedam fundamenta declinationis et coniugationis et syntaxeos. Uberrima est declinatio, quia multae adhibentur formae verborum Graecanicorum rariores et irregulares. E contrario paucae tantum discendae sunt formae verborum temporalium. Denique syntaxis fere est nullius momenti exceptis rationibus gravissimis, quales sunt vis casuum et congruentia, quae in Latino sermone sint inter nomen adiectivumque eidem attributum (quae inter se congruant oportet casu numero genere) et congruentia subiecti et praedicati, quae sint eiusdem numeri oportet.

Licet botanista vacare non soleat altioribus studiis grammaticis colendis, tamen paucis septimanis fieri potest, ut bono magistro docente rudimenta ponat Latinitatis botanicae. At plurimum dolendum est, quod nulla in universitate, nullo in instituto botanico specialiter tractatur et investigatur et docetur Latinitas botanica. Desunt apta lexica, apti libri didactici, apti magistri. Quâ deficientiâ vere miserabili fit, ut multi botanistae plantarum novarum inventores incerti sunt, quomodo plantam rite denominent riteque describant. Equidem his decem annis multas diagnoses botanicas scripsi mandatu Coreani botanistae cuiusdam excellentissimi (Prof. Dr. Yong No Lee), qui composuit complures iam editiones „Florae Coreanae“ (titulus originalis: „FLORA OF KOREA“) uberrimae, cui insunt omnes Coreanae plantae vasculares et verbis et imaginibus illustratae. Idem botanista ingeniosus de Flora patriae suae optime meritus, qui est senex grandaevus prosperrima valetudine insignis, me adiuvante aliquot centum iam diagnoses plantarum novarum Latinas publicavit.

Denique lector botanices minus peritus legat duas diagnoses sequentes, ut sciat, cuius elocutionis sint tales descriptiones botanicae:

Cladonia rotundata Ahti

Podetia albido-cinerascentia et partim rufescentia, acidum fumarprotocetraricum et atranorinam continentia, dichotome aequaliter vel subaequaliter dense ramosa, axem principalem deficientia vel axes indistinctos formantia, vulgo pulvillos densos rotundatos efficientia, internodiis tenuibus, 0.4-0.8 mm crassis, in summo ramulis ultimis divaricatis, rufescentibus, medulla exteriori tenui compacta facile disintegrataque. *Pycnidia* globosa vel ovoidea, gelatinam hyalinam continentia (T. Ahti in *Ann. Bot. Soc. Zool.-Bot. Fenn.*, 32, no. 1: 29 : 1961).

Pleioblastus munsuensis Y. Lee sp. nov. perennis, caulis erectus, diametro 1.5-3mm, 50-60cm longus, internodium 15cm longum. Rhizoma repens et longum. Vagina folii 5-6cm longa, marginibus pilosis. Folia lanceolata, 8cm longa, 1.2cm lata, strictis setis oralibus et brevibus ligulis membranaceis.

Una spicula apicalis, lateribus compressis, 3cm longa, 5mm lata, plerumque 3-5 flosculis. Lemma lanceolatum, 2.2cm longum, 11 nervis, arista apiciformi. Palea bicarinata, hirsuta, 1.9cm longa. Filamentum 1.2cm longum, anthera flava, 0.5cm longa. Lodiculae 3, hyalinae, lanceolatae, hispidae, 4.5-5mm longae, 1-1.2mm latae. Pistillum 3 stigmatibus plumosis.

Hab(itat): *Munsugol*, in monte *Chiri*, provincia *Chollanamdo*, *Korea*.

Leg(erunt): *Yong No Lee, Sunhwa Mun, Kiyup Song, Chang* d.18.m.lun., a.1997.





3.3 Vae Americanis! Quibus imminet piscis Frankensteinianus. *Channa sive Ophiocephalus* – genus piscium horribile infestat Americanorum lacus fluviosque.

Americae borealis piscatores et oecologi dicuntur correpti esse terrore Panico: *Channae sive Ophiocephali*, pisces rapacissimi capitibus anguineis instructi ex Asia illati invadunt in lacus fluviosque. Qui pisces incredibiliter vivaces rapide crescunt et per complures dies possunt vivere in terra ibidemque pinnis suis nixi ambulare.

Ophiocephalus, cui propter vivacitatem fere supernaturalem ferocemque pugnacitatem supernomen popolare inditum est „*frankenfish*“, id est *piscis Frankensteinianus*, originem repetit e China australi.



Tempore brevissimo ophiocephalus septentrionalis factus est unus ex invasoribus periculosissimis, quibus periclitetur oecosystema Civitatum Unitarum. Qui piscis fatalis oecologis terrorem iniecit eo, quod potest sustinere portiones oxygenii aquae valde deminutas, quod potest ex aqua egressus ambulare super terram ibique morari per complures dies, eo quod rapidissime crescit et est ingentis voracitatis insatiabilis. Nec causae est, cur timeat hic invasor Asiagenus aquas Americanas: nulla enim bestia Americana praedatur ophiocephalos.

Ecce *channa* seu *ophiocephalus*! Admirandus est piscator intrepidus tantâ cum animi aequitate tenens horribilem bestiam Frankensteinianam.

Per nonnullas septimanas magistratus piscatorii et oecologici conati sunt recipere paucas illas channas, quae circiter duobus annis ante stagno impositae erant, quod situm est in *Crofton*, in regione Terrae Marianae (*Maryland*), in regione orientali Vassintonii DC. At hi pisces iam prolem procreaverant, ut nunc in stagno, quod habet superficiem quattuor hectarearum, iam aliquot centum channae sint. „Haud scio an nunc aliquot centum, nisi plures ophiocephali vivant in hac piscina“ *Ericus Schwaab*, praepositus rei piscatoriae Departimenti divitiarum naturalium rettulit diurnariis. Dominus autem *Thomas (Tom) Muir* biologus dixit ophiocephalus cum esset ‚praedator valde aggressivus‘, fieri posse, ut idem populationes piscium indigenas decimaret. „Hôc pisce“ inquit, „oecosystema nostrum est in magnum discrimen adductum.“

Ophiocephalus adultus habere solet longitudinem integri metri. Channae juveniles sunt bellulis dorsis rubeolo-fuscis et insignibus virgis longitudinalibus, quae gradatim pallescunt pisce adolescente. Pisces autem adulti habent ventres argenteos, dorsa obscura, quae saepe sunt tenoris viriduli aut fuscilli aut purpurelli. Variationes colorum, quae inveniuntur in ophiocephalis adultis, pendent a colore aquae, quam inhabitant. In aquâ alcalinâ channae valde pallescunt, sed in aquâ acidulâ idem pisces colorem ducunt valde fulgentem, in dorsis eorum apparent maculae colore purpureo et lagoenarum viriditate coruscantes.

Channae saepe vivunt per 10 aut 15 annos. Secundum Encyclopaediam piscium tropicorum *channa sive ophiocephalus* ‚crescit stupendâ cum velocitate et, si eum alueris, difficillimum erit satiari eius voracitatem terrificam.‘ Channae juveniles tantâ



sunt cupiditate devorandi, ut interdum ex aquâ saliant in folia nymphaeae, ut hiante ore captent insecta, antequam in aquam resiliant. Cum ophiocephali iuveniles incolas aquarum molestent, adulti iisdem iniciunt summum terrorem. Qui in deliciis habent gyrinos ranasque, sed minime aspernantur phoxinos et centrarchos et multos, multos alios, - ut brevius dicamus – dentes suos acerrimos impingunt omnibus rebus natatilibus. Praeda minor, velut gyrini atque ranae, ab ophiocephalo uno haustu deglutiuntur, sed dentibus suis acribus mandibulisque robustis ophiocephali etiam habiles sunt ad maiorem praedam debilitandam, velut cyprinum. Saepe morsu praedam dividunt in duas partes. Channae non solent praedam suam diutius persequi, sed insidias parant summâ cum celeritate et versutiâ.

Nonnullis in terris Asiaticis ophiocephali libentissime hãmantur et comeduntur. Ponderosissimus omnium, qui umquam capti sunt, pependit 35 chiliogramma, sed rari sunt ophiocephali plus 9 chiliogramma pendentis. Pondus huius piscis rapacis, postquam ex ovo exclusus est, intra annum duobus chiliogrammis augetur.

Omnes 28 species channarum tolerant oxygenii penuriam, quia a primis pueris praeter usum branchiarum quadamtenus respirant aerem atmosphaericum. Si ophiocephali adulti impediuntur, ne aerem hauriant ad superficiem aquae, intereunt defectu oxygenii.

Plerique ophiocephali prolem procreant aestate, sed nonnullae species hoc faciunt per totum annum. Ophiocephalus septentrionalis potest quinquies in anno ova parere. Eadem species tam dura tamque vivax est, ut – quamvis sit tropicae originis – sustineat tempestatem gelidissimam Americae borealis. Quae species est nunc in mercatibus piscium Novi Eboraci et Bostoniae frequentissima. Ophiocephali esse solent monogami toto tempore prolis procreandae, fortasse per totam vitam suam! Channae parentes parvulos custodiunt fortissime. Species, cui nomen est *Channa micropeltes*, refertur impetum facere, interdum necare hominem proli suae appropinquantem. Duae species ophiocephalorum sunt incubatores buccales (Hisp. *incubador bucal*; Fr. *incubateur buccal/ oral*; Angl. *mouth breeder/brooder*, Theod. *Maulbrüter*). Mares earum custodiunt ova fecundata, postea pisciculos filiales, ipsis oribus suis inclusos. Scientistae nesciunt, quot species ophiocephalorum aptae sint ad migrationes superterrenas, sed noverunt quasdam species, quae revera interdum ex aquis prosiliant et migrent super terram. Verisimile est tales migrationes fieri instinctu channarum naturali, quia in patriis suis (terris Asiae australi-orientalis) inhabitare soleant fluvios lacus stagna, quae aestate exarescant.

Nonnulli ophiocephali tempore siccitatis ipsi in limum se infodiunt. In Thailandia tempore siccitatis homines famelici humum limosam pervadunt, usque dum inveniant ophiocephalos abditos.

Channa micropeltes, omnium channarum maxima et voracissima, quae sibi non temperet, quin impetum faciat in ipsos homines, inventa est in regionibus *Maine*, *Massachusetts*, *Rhode Island*, in quibus clima istis bestiis non est aptum ad prolem propagandam. Eaedem channae si immitterentur aquis Floridae aut Hawaii subtropicis, futurum fuisse, ut prolem procrearent uberrimam. Si tantummodo temperaturam aquarum respicimus, concludendum est omnes aquas Civitatum Unitarum aut dulces aut salmacidas a quibusdam ophiocephalorum speciebus posse inhabitari. Cum idem pisces sint rapacissimi et voracissimi, nunc fataliter periclitantur



multae species bestiarum aquaticarum: 16 species amphibiorum, 115 piscium, quinque ex 21 speciebus animalium crustaceorum in omnibus Civitatibus Unitis protectorum.

In 13 civitatibus America vetitum est, ne quis possideat ophiocephalum, sed neque Vassintonii in Virginiâ eidem urbi propinquâ neque in terrâ Marianâ (*Maryland*), ubi primo ophiocephalo introducto oecosystema Americanum in discrimen adductum est.

Interim notum est, quomodo ophiocephalus eo introductus sit: In terris asiaticis (in Sinis, Corea) idem piscis praedicatur propter vires suas medicinales. Quidam Sêr accola illius magni stagni Croftoniensis in Terrâ Marianâ siti, *Hongcongio* ex urbe suâ patriâ sibi mandaverat nonnullos ophiocephalos vivos, ut ex iisdem concoqueret sorbitionem medicinalem, quibus mederetur sorori suae aegrotae. At cum pisces advenerint, soror iam reconvalesceret. Itaque channas vivas imposuit stagno Croftoniensi, ubi iidem pisces non solum superstites erant, sed etiam tam bene vivebant, crescebant, florebant, ut prolem procrearent uberrimam...

Sufficiant haec in praesenti de channis sive ophiocephalis piscibus rapacibus aquas Americanas infestantibus. Denique liceat quaerere, quare Americani hunc piscem appellent „*frankenfish*“. Ut verum confitear: hoc non certo scio. Sed opinor hoc nomen derivari a nomine „Frankensteinii“, medici illius famosi, qui in fabulâ a *Mary W. Shelley* scriptâ ex cadaverum humanorum partibus construit monstrum quoddam horribile idemque animat vi electricâ. Cum creator huius entis semihumani mox privetur potestate creaturae suae moderandae, anglophoni solent hominem aliquem, qui creavit rem, qua ipse sit periturus, nuncupare *Frankensteinium* eiusque creaturam *monstrum Frankensteinii* („*Frankenstein's monster*“). Sed quid de ophiocephalo? Lêgimus quendam virum Sêrem voluisse talem piscem adhibere, ut sorori medicamen conficeret; sed accidisse, ut animal pro medicamine allatum fieret venenum. Puto autem nomini *piscis Frankensteiniani* subesse quandam theoriam conspirationis: Plebecula enim Americana credit ophiocephalos nunc Americam infestantes esse monstra a tromocratis furciferis ratione genotechnologicâ fabricata. Nec deest cinêma horrificum, in quo quidam ophiocephalus gigantêus et anthropóphagus methodo genotechnicâ fabricatus terrorem inicit spectatoribus.

In fine de ophiocephalis quomodo iudicemus? Scilicet impugnandus est hic piscis, quia graviter nocet oecosystemati. At nonnulla, quae narrantur de hac bestiola vix unum metrum longâ, a veritate longe absunt. Ne obliviscamur ea quae legimus de moribus channarum: easdem esse monogamas, id est maritos uxoresve fidelissimas prolemque suam curare tantâ cum caritate atque fortitudine, ut eandem servent ipsis in oribus et defendant contra omnes quietis temeratores. Nonne eaedem virtutes praedicantur ab iis, qui nunc praesunt Civitatibus Unitis? Ut concludamus verbis Horatianis: *Lenite clamorem, sodales...*



3.4 Deverticulum technicum

De tessera *taxillata (Angl. *chip card*, Theod. *Chipkarte*)

Taxillus electronicus (Anglice *chip* sive *IC = integrated circuit*) est circuitus electronicus complexus, qui potest continere multa transistoria.

Postquam **tessera magnetica** est introducta, electrotechnurgi deliberaverunt, quomodo detrimenta tesserae magneticae evitarent, sed tamen reservarent eiusdem emolumenta. Itaque quaesiverunt subsidium condendi certius, maius, durabilius. Talia fuerunt **subsidia condendi integrata**, quae cum etiam etiamque deminuerentur, tum maiore erant capacitate conditoriâ et logicâ securitatis integratâ.

A.1974 in Francogalliâ **Roland Moreno** publice annuntiavit tesseram taxillatam a se inventam. Ibidem a.1984 prima telephonica tessera taxillata vendita est. Necessarium fuerat spatium decem annorum, quo tesserae taxillatae fierent sat viles habilesque.

A.1984/85 experimento initiali facto tessera taxillata praeter tesseras magneticas et opticas tesseras halogrammaticas primo adhibita est ad unitates telephonicas condendas. Hodie in plus 50 terris in usu sunt telephonicae tesserae taxillatae.

Quibus in rebus tesserae taxillatae adhibeantur.

Novâ hac technologiâ non solum fabricatae sunt telephonicae tesserae taxillatae.

Exempla:

chartae **GSM**: In initio mobilis telecommunicationis technurgi rationem quaesiverunt, qua telephona mobilia annuntiarent a partibus machinae (*hard ware*) independentia. Quod assecuti sunt tesserâ taxillatâ introducendâ. Data autem emptorum personalia non conduntur telephono mobili, sed taxillo, qui deinde telephono imponitur. Si fit telecommunicatio, data hominum communicantium taxillo transferuntur, ut postea ratio computetur.

tessera assecurationis aegrotorum: Die 1. m.lan. a.1995 in locum schedae aegrotationis **tessera assecurationis aegrotorum** supposita est. Qua in tessera sunt inscriptio cursualis, dies natalis, eqs hominis aegrotantis (propter tutelam datorum ibi nulli morbi sunt notati). Quâ tesserâ computatio pro aerario aegrotorum facienda multo facilior facta est. Itaque abolita est usus schedarum aegrotorum molestissimus et nimia chartae absumptio.

tessera, qua identitas demonstratur: Alia res, in qua adhibentur tesserae taxillatae, sunt pecuniae solvendae. Qua in re adhibentur tesserae praesolutae (**pre-paid-cards**). Eadem ratione operantur tesserae telephonicae, quae adhibentur in publicis cellis telephonicis Telecomianis.

Alia exempla: tesserae copiariae, tesserae typographicae, EC-tessera taxillata eqs SUFFICIENT HAEC DE TESSERIS TAXILLATIS (chip-cards).

tessera taxillata formati „ID-1”





4. TRANSLATIONES

4.1 Quantum iuuet verba e vernaculo in Latinum vertere

„Es gibt zwar vorzügliche Übersetzungen wie ‚Max und Moritz‘ oder ‚Winnetou‘. Ich wäre allerdings eher dafür, moderne lateinische Texte zu schreiben als Übersetzungen.“ i.e. Latine: *Sunt quidem excellentes versiones (sc. fabularum modernarum Latinae), velut „Maxentius et Mauricius“ et „Vinnitou“. Tamen mihi potius placeat Latine scribi modernos textûs (sc. originales) quam versiones.*

Haec *Valafridus Stroh* Professor philologiae classicae Monacensis dixit cuidam mulieri diurnariae, cui nomen est *Fee Isabelle Lingnau* (v. supra in sede interretiali Leonis Latini, s.v. ‚Quis est Leo Latinus 2?, s.v. Fragrantia 3: „Hamburger Abendblatt“, d.30.m.Oct. a.2004. „Süskinds Parfum gibt’s jetzt auch auf Latein“). Nos autem, qui ex multis annis incumbamus fabulis modernis Latine reddendis, quid respondeamus bono Valafrido omnium oratorum Latinorum nostrae aetatis disertissimo?

Primo loco oportet nos sermonis Latini renovatores studeamus demonstrare fieri posse, ut opera aetatis modernae praestantissima satis apte satisque decenter convertantur in sermonem Latinum. Sermo quivis non potest dici excultus et eruditus et ad communicationem modernam idoneus, nisi eodem exprimi possint cogitationes narratorum aetatis optimorum. Oportet etiam thesauri litteraturae mundanae mandentur sermoni Latino.

Secundo loco opinor, cum pusillus adhuc sit grex noster, verisimile non esse huius gregis participes esse sat multos auctores tam ingeniosos quam *Süskind* et *Schlink* et *Schneider* (de quibus v. infra). Aliud est linguâ aliquâ bene uti et aliud est ingenio esse vere poetico et narrativo. Bonus narrator oportet valeat utrâque virtute. Sed talis est *rara avis in terris*. Magis decet bonam fabulam bene in Latinum vertere quam bonâ elocutione Latinâ fingere argumentum ineptum.

Tertio loco nobis persuasum est sermonem alienum non sat bene exerceri scribendis verbis originalibus: Nemo sermonem aliquem alienum vere callet, nisi scit ex sermone patrio in illum convertere. Ad sermonem alienum exercendum optime iuvat verba in sermonem alienum vertere. Ceterum patrius quoque sermo hac methodo bene exercetur.

Hanc rem Plinius minor acu tangere videtur nonâ epistulâ libri septimi, ubi monet Fuscum amicum, ut quam saepissime vertat verba e Latino in Graecum et e Graeco in Latinum. Operae pretium est legere, quid dicat Plinius minor de versionibus faciendis:

4.2 Plinius minor quid sentiat de versionibus scribendis (PLIN.ep.7,9,1-6)

C. PLINIUS FVSCO SVO S.

Quaeris quemadmodum in secessu, quo iam diu frueris, putem te studere oportere. Vtile in primis, et multi praecipiunt, uel ex Graeco in Latinum uel **ex Latino uertere in Graecum**. Quo genere exercitationis proprietates splendorque uerborum, copia figurarum, uis explicandi, praeterea imitatione optimorum similia inueniendi facultas



paratur; simul quae legentem fefellissent, transferentem fugere non possunt. Intellegentia ex hoc et iudicium acquiritur. Nihil offuerit quae legeris hactenus, ut rem argumentumque teneas, quasi aemulum scribere lectisque conferre, ac sedulo pensitare, quid tu quid ille commodius. Magna gratulatio si non nulla tu, magnus pudor si cuncta ille melius. Licebit interdum et notissima eligere et certare cum electis. Audax haec, non tamen improba, quia secreta contentio: quamquam multos uidemus eius modi certamina sibi cum multa laude sumpsisse, quosque subsequi satis habebant, dum non desperant, antecessisse. Poteris et quae dixeris post obliuionem retractare, multa retinere plura transire, alia interscribere alia rescribere. Laboriosum istud et taedio plenum, sed difficultate ipsa fructuosum, recalescere ex integro et resumere impetum fractum omissumque, postremo noua uelut membra peracto corpori intexere nec tamen priora turbare....

4.3 Somni soror, i.e. *Schlafes Bruder*.

Fabula *Roberti Schneider* a.1992 in Lipsiensi Domo Reclamiana edita, a *Nicolao Gross* Germano Venaxomodurensi in Latinum conversa.

His viginti annis tres fabulae excellentissimae originaliter theodisce scriptae publici iuris sunt factae, quae etiam extra Germaniam in summam claritudinem pervenerunt: Patricii Süsskind „Parfum“ (Fragrantia) et Bernhaldi Schlink „Der Vorleser“ (Praelector) et Roberti Schneider „Schlafes Bruder“ (Somni soror). Quarum fabularum admirabilium versiones Latinas componere iam pridem coepi: „Fragrantia“ iam ex integro Latine reddita cum Glossario prolixo edita est in Aedibus Bruxellensibus, quae appellantur „MELISSA“; „Praelectorem“ Latinâ veste ornatum his septimanis divulgato in periodico interretali, c.t. „EPHEMERIS“. Huius triadis laureatae ultimum opus nunc coepi Europaeorum sermoni patrio mandare.

Quod attinet ad titulum huius fabulae Latine redditum, vide, lector, quomodo eundem reddiderit interpres Hispanus, cuius exemplum nobis placuit imitari: „Hermana (sic!) del sueño“. Verbum enim Latinum, q.e. „mors, mortis f.“ est generis feminini, item verbum Hispanicum, q.e. „la muerte“! Ergo Mors in Latino et in Hispanico sermone est Somni Soror, non Frater! Francogallus autem interpres (in cuius quoque sermo Mors est feminini generis) rem non acu tetigit eo, quod titulum reddidit verbis quae sunt: „Frère Sommeil“. Eadem enim versio est parum accurata. Nam valet ‚Fratrem Somnum‘.

Qui amat, non dormit

HAEC est historia viri musici *Iohannis Eliae Alderi*, qui viginti duos annos natus mortem sibi conscivit, cum decrevisset, ne umquam pergeret dormire.

Nam idem exarserat amore indicibili ideoque infelici consobrinae suae *Elsbethae* et ex illo tempore non iam voluit vel per unum momentum temporis quiescere, dum usque ad fundum exploraret secretum, quo fieri non licuit, ut illam amaret. Fortiter usque ad finem suum incredibilem sententiam retinuit, qua tempus dormiendo terere esse tempus profundere id est peccatum committere, tempusque sic profusum olim sibi imputatum iri in purgatorio, nam hominem dormientem esse mortuum aut saltim



non vere vivere. Haud forte fortunâ *mortem* antiquitus dici *somni esse sororem*. Quonam iure, ille cogitavit, virum puri cordis contendere se uxorem suam amare per totam vitam, hoc autem non facere nisi per spatium temporis diurni aut unius tantum cogitationis? Hoc quidem non esse testimonium veritatis, nam virum dormientem non amare.

Ita cogitavit *Iohannes Elias Alder*, et eius mors insignis ultimum erat, quod tribuit amori suo. Ubi hic vir vitam suam degerit et qui fuerit cursus huius vitae miserae, hîc loco describamus.

Ultimum capitulum

Anno 1912, cum *Cosmas Alder* ultimus incola vici *Eschberg*, vici cuiusdam montani in mediâ regione *Vorarlbergiana* siti, in praedio suo neglecto fame periisset, - ne veteres quidem incolae vici *Götzberg* propinqui suspicati erant in illo loco superiore adhuc hominem aliquem vivere – natura quoque definite decrevit, ut exstingueretur omnis memoria huius vici. . . .

(Altera pars sequetur!)



5.ECHUS VOCES EPISTULAE

Finitus est NUNTIUS LEONINUS primus. Scribas, cara lectrix, care lector, quid tibi in buccam venerit: in hoc NUNTIO LEONINO quid tibi placeat quid displiceat, quid reprobas quid comprobas, quid dolenter desideres. ' Nam haud inepte dicit Plinius minor (ep.3,13): *Adnota, quae putaveris corrigenda. Ita enim magis credam cetera tibi placere, si quaedam displicuisse cognovero* '.

Nos autem epistulas tuas exspectamus summâ cum animi suspensione.

Quibus hoc loco publicatis quantum poterimus respondebimus.

Vale pancratice et perge nobis favere!

Medullitus te salutat

